



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quòd partem sacramenti damus. tit. 292

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Vel quia imperfecta est fides nostra, quæ appræden-
dat gratiam, aut quòd iudicia Dei sunt occulta, sicut
dicebat Paulus. 1. Corin. 4. Nihil mihi conscius
sum & car. Nō est timor ille ex parte Dei, id est, quòd
dubitemus de Deo, quòd ille non satisfaciat promi-
ssioni suæ. Est enim Deus verax, Rom. 3. sed ex parte
infirmi-
tatis nostræ, sicut dicebat homo ille Marc. 9.
Credo Domine, sed adiuua infidelitatem meam, id
est, infirmitatem. Non enim docet Ecclesia, sic esse
pertinacē & securū, & dicere: Oportet vt mihi omnia
prosperè eueniāt, & peccata dimittātur &c. Ideò et si
nostra natura naturaliter dubitat, sēper verbo tamē
vincit dubitationē, & adiuuatur. Hoc quia docemus,
nō habent iustam causam sectæ sui recessus à cōmuni
Ecclesia. Spes etiā non confundit, Roman. 8.

*QUOD PARTEM SACRA-
menti damus.*

TITVLVS CCXCII.



TERTIAM causam iusti recessus à cō-
muni Ecclesia, prætendunt sectæ quo-
niam CHRISTVS præcepit dare totū
sacramentū, At nos damus dimidiū
tantum sacramentū, partem sacra-
menti panem sine calice, & non fauemus illis,
quòd sanguis Christi illis remittat etiā peccata. Et
go cum hoc sit contra institutionem Christi, idē nō
lunt nobiscum communicare &c.

Causa 3.

Primò, Catholica Ecclesia non nouit vel dimi-
diū vel diuisum sacramentum, sed firmiter credit,
quod sub qualibet specie est totum sacramentum,
corpus & sanguis, vita & deitas CHRISTI, id est,
totus Christus. Idē quæcunque species accipitur.
ibi totum sacramentum accipitur Dixit CHRI-
STVS Matth. 26. Hoc est corpus meum, id est, non
solū caro, nō solum sanguis, id est, sine carne, vel caro
sine sanguine,

SSS 2

sine sanguine,

fanguine, sed est vtrunque simul corpus meum. Sic
nim hæc separantur, neutrum illorū dicitur corpus.

Secundò, quandò sectę priorem accipiunt speciem
per intervallum, donec consecretur & altera speci-
es, quam sunt accepturi: Quæritur, quid acceperint
sub priore specie, vtrum solum carnem sine sangui-
ne, an simul cum carne sanguinem, i. corpus Christi?
si dicunt se simul cum carne accepisse in prima spe-
cie & sanguinem ad quid sic clamant necessariam esse
se ad salutem reliquam speciem, quando virtutem to-
tam sub vna specie accipiunt sacramenti? si dicunt,
quod solum carnem sine sanguine, sic diuidunt sa-
cramentum. & efficiuntur Nestoriani, & maximam
iniuriam faciunt Christo, sic diuidentes sanguinem
à carne, quandò Christus amplius non moritur,
Roman. 6. nec ei mors vltra dominabitur, an hoc nõ
est Christum iterum spiritualiter crucifigere? Quoni-
am ergo sacramentum diuidi non potest, immò hoc
est impossibile, sicut etiam est Christum de nouo mo-
ri, & sanguinem diuidi à carne. Surrexit enim à
morte, & amplius non moritur, & sic etiam in sacra-
mento immortaliter accipitur, non mortale corpus,
sicut Apostoli in cœna, Matt. 26.

Tertiò, ipsæ species sacramenti nullam conferunt
gratiam, sed solum significant, Prima species, corpus
oblatum: Altera, sanguinem effusum pro peccatis
nostris, & propter illam significationem sacerdos
consecrat & communicat vtranque speciem ex com-
missione Christi, Luca. 22. Hoc facite, & cæt. v. scia-
mus Christum vtrunque, sanguinem & corpus pro
nobis dedisse, Mat. 26. At virtus sacramenti appra-
henditur fide, quia credo verbis Christi, Mattha. 26.
Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, Hic
est sanguis &c. Hæc fides apprehendit gratiam, & vir-
tutem sacramenti, id est, passionis Christi. Hanc fi-
dem ex æquo oportet habere sacerdotem & laicum,
hac

hæc apprehendit virtutem & gratiam sacramenti. Ideò consecrans sacerdos, & communicans vtranque nec magis nec minus accipit, quam laicus, &cæ. Species ergo nihil conferunt, quia gratiam & gloriam dat Dominus, Psalm, 83. non species sacramenti, sed Deus per fidem.

Quartò dicunt, Christus dicit, Bibite ex eo omnes, omnes, inquit. Matthæi. 26. Respondeo, quæro quinam sunt illi, de quibus Marcus Euangelista dicit, & biberunt omnes? omnes dicit Marcus, nonnè erant soli Apostoli? & quinam fuerunt illi, quibus dixit Christus Matthæi. 26. omnes scandalum patiemini, &cæt. Nonnè soli Apostoli? & quibusnam dixit. In viam gentiũ ne abieritis? ergo multa solis Apostolis dixit Christus. Sic illis ergò præcipit bibere omnes ex calice propter designationem, & sic consecrare, quod & fecerunt, non quod propter species plus vel minus susciperent, quam laicos, quando etiam Christus Ioann. 6. multa dicit de sacramento corporis & sanguinis sui, & nullius speciei facit mentionem.

Quintò inquires: Cur tunc sic digladiantur sectæ pro vtraq; specie? Respon. hoc fit instinctu sathanæ. Laborat enim sathan, vt sacramentum, quod propter vnitatem est institutum, vnũ corpus, vnus panis 1. Corinth. 10. dissensione accipiatur, & secta foueatur, ne fructuosum sit sacramentum, quandoquidem extra vnitatem & charitatem nihil est vtile neque prodest, 1. Corinth. 13. Catholici ergo nesciunt diuisionem sacramenti, sed credunt sub qualibet specie totum fore sacramentum, sicut sub vna gutta baptismi totus baptismus. Cyprianus libro. 4. Epist. Epistola 7. dicit, Gratia non est alligata externis rebus, & sic omnes totum accipiunt sacramentum.

QVOD PANEM ADO-
ramus.

SSf 3 TI-